

LUC. 15. n. 22. Dixit autem pater ad seruos suos: cito proferte stolam primam, & induite illum, & date anulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius.

VERSIONES.

Syracus. Dixit vero pater ipse seruis suis: depromite stolam primam, & induite eum; & ponite anulum in manum eius, & calceate eum soleis.

D. Hier. epist. ad Damas. Celerius proferte stolam.

Arias, Gram. Afferte stolam illam.

Varabius. Date anulum manui eius, & calceamenta pedibus.

EXPOSITIO VII.

131.



DIXIT autem pater ad seruos suos. Non respondet pater filio verbis, sed factis, quibus suam benignitatem erga illum declarat, ostendens se immemorem iniuriarum, ac illum in antiquam gratiam restituere. Ad seruos suos pater conuertit sermonem, & non ad vnum solum, sed ad omnes; ad cenam magnam vocat per vnum seruum, Luc. 14. num. 17. Nunc vero omnibus imperat. Dixit ad seruos suos, ac si pre amore erga filium, ac diligentia, qua volebat eius nuditatem operiri, vnus seruus filio non sufficeret, sed plures exigerentur, plura interponens ad filij nuditatem tegendam, quam ad suam magnificentiam declarandam. Per seruos Angeli, vel sacerdotes interpretantur. Theophylactus, & Euthymius. Prædicatores vero D. August. & Beda. Cito, seu vt habet D. Hieronymus ad Damasum: Celerius. Ne filij nuditas ab aliquo videretur. Cito, id est statim, sine vlla mora. Denotatur quod nullum interiaceat spatium temporis inter veram penitentiam, & diuinam gratiam: mox vt vera adest penitentia, adest & diuina gratia. Proferte stolam primam. Proferte ex arcis meis vestuaria. Vatablus, stolam illam. Græcè stola erat toga talaris, vestis scilicet oblonga, ad talos vsque demissa, quæ nobilitatem erat filiorum, tam viris, quam feminis congruens. Cum vero dicit primam, illam pristinam denotat, quali antehac vt consueuerat, cum in domo patris resideret. Date anulum, qui ornatus est hominis liberi, ac locupletis. Per quod libertas à iugo dæmonis, ac diuitiæ gratiæ significantur. Calceamenta in pedes. Habitus est filiorum bene educatorum, quorum pedes calcis muniuntur aduersus omnia offendicula.

Luc. 14. Plura ad oculanda de vita filij, quæ ad ostendam maiestatem. Theophyl. Euthym. August. Beda. Hieron.

Natabl.

QUESTIO XVIII.

Quare pater mandat dare filio non quamlibet stolam, sed primam, & pretiosissimam?

132. Chrysol.

ECCE notat D. Chrysologus, quod cum pater amplexu tener filium. Non dixit ei, ait,

unde venis? Vbi fuisti? Vbi sunt, quæ iulisti? Quare tantam gloriam tanta turpitudine commutasti? Delicta, qui discunt, prodit. Bonus pater non querit de vita peracta, de substantia perditâ, de bonis dissipatis, non scrutatur delicta; sciebat enim, quod delicta, qui discunt, prodit; criminum examen eorum est pro palatio; tunc enim manifestantur delicta, cum inquiruntur; senex autem potius voluit videri bonus pater in operandis peccatis, quam seuerus iudex in illis declarandis. In vltima cæna ait Dominus suis Apostolis: Vnus vestrum me traditurus est, Math. 26. num. 21. Cur nec discipuli querunt, nec Dominus explicat, quomodo ipse esset tradendus, an in domo? vel in orto? an pecuniæ ambitione? vel odij malignitate? Cur nullus est qui hoc disciat, & inquit? Delicta, qui discunt, prodit. Si crimen, seu modus traditionis examinaretur, ac explicaretur, illius discussio esset Iudæ proditio, si enim diceretur, quod vnus ex eis pecuniæ affectu magistrum esset traditurus, hoc aperte esset Iudæ designatio, cuius ambitio cunctis nota erat, nulla ergo fiat criminis discussio, vt secretè corrigatur, quem nulla deformauerat abiectio, vt ait D. Leo, serm. 7. de Passione.

Criminum discussio, ac examen illorum est manifestatio.

Math. 26.

Leo.

Per stolam primam D. Augustinus, D. Hieronymus, Beda, D. Bonavent. Carthusianus, & alij interpretantur, non innocentiam, nec virginitatem, hæc semel amissa nunquam recuperantur, intelligunt enim pristinam gratiam, & charitatem, quam penitens peccator in sua conuersione recipit. Euthymius: Proferte, ait, stolam primam pretiosissimam, quæ est purificatio, aut gratia, quæ custodiatur. Gratiæ amictus non solum ornat, sed etiam custodit animam ab omni irruente malo, vnde per stolam primam Interlin. interpretatur, vestem Spiritus sancti. Quæ nos exornat, & constituit hæredes immortalitatis. D. Ambrosius hic, amictum sapientia, qua illustratur ad bonum. D. Augustinus dignitatem quam perdidit Adam. D. Asterius in Catena Græca, D. Luc. Prima stola, ait, est gratia Dei, quam in baptismo singuli accipiunt. Denotaturque restitutio dignitatis, & gratiæ amissæ per peccatum.

133. Stola significat gratiam. August. Hieron. Beda Bonavent. Carthul. Euthym.

Interlin.

Ambros.

August.

Asterius.

Moraliter ad nostram quæstionem rem eleganter explicat D. Chrysologus serm. 3. Cecidit, ait, pater super collum eius, clausit amplexu, ne nudaret pater filij crimina, pater filium ne nudaret: sustulit filij crimina, qui non sustulit nuditatem. Cito proferte stolam primam, & induite illum; à seruis ante vestiri filium voluit, quam videri, vt soli patri nota esset nuditas. Quæ verba multo acuminè sunt plena, & profundè examinanda.

134. Chrysol.

Primò. Cecidit super collum eius, clausit amplexu, ne nudaret pater filij crimina. Pater occurrit filio, & statim ipsum inter brachia tenet, & super collum eius recumbit, & mittit seruos vt offerant stolam. Cur pater ante omnia amplectitur filium, & cubat super collum, & de stola prouidet? Cur non potius de cibo, cum adolescens multa fame oppressus adueniret. Dixerat enim, fame pereo. Bonus pater nil prius intendit, quam quod filij nuditas non appareat, sed lateat, vt eius turpitudinem non sit nota, sed abscondita, neque à domesticis, famulis, ac vilibus hominibus videatur; indeque seruis ait. Cito proferte stolam, quæ quandiu non adducitur paternis visceribus filium brachiis, ac colli inclinatione abscondit, & occultat; illique prius prouidet vestitum, quam cibum, magis attendens honori, ac famæ, quam penu

135.

proximorum crimina occultanda.

penuriæ, ac fami. Pro quo vide multa hoc tomo, primo, secundo, ac tertio. Verbo Defectus.

136. Chrysol. Pater filius doles de filij dedecore, quam de sua offensa.

137. Chrysol.

Iusti vident miseriam, vt subueniant, non vt contemnant.

Seneca.

138. Chrysol.

Pœnitentia sic delet peccata, ac si nunquam fuissent.

Ennodius.

Pœnitens aliquando magis extolitur, quam innocens.

Bernard.

Secundò. Sustulit filij crimina, qui non sustulit nuditatem. Crimina offenderant patrem, nuditas vero filij honorem, ac decorem; bonus autem pater dissimulat ea quæ aduersus eum militabant, non verò illa, quæ filij auctoritatem deturbabant; quòd filius esset per multum tempus in regione longinqua multis criminibus fœdatus, suffert, at verò quòd ipsum tantisper videat nudum minime patitur, sed seruis iubet. Cito afferte stolam primam.

Tertiò. Hinc est quod à seruis ante vestiri voluit, quam videri, vt soli patri nota esset nuditas, quia pater solus videre filij non poterat nuditatem. In his videtur aperta contradictio inuolui, si pater voluit à seruis filium nudum vestiri, quomodo noluit eius nuditatem à seruis videri, à seruis ante vestiri voluit, quam videri. Si à seruis nudus erat vestendus, quomodo antequam nudum viderent, eum poterant vestitu contegere? Nunquid serui cæci erant? Et si cæci nullum erat periculum, quòd filium viderent; serui erant Angeli, iusti, ac probi, vt dixi in expositione. O præclarum bonitatis ingenium, videt miseriam, vt cooperiat, non videt vt manifestet! Boni serui vident filium nudum vt vestiant, ac exornent, non verò vident nudum, vt ignominiosè contemnant, & despiciant. Sic & eodem modo de parente philosophatur. Vt soli patri nota esset nuditas, quia pater solus videre filij non poterat nuditatem. Si soli patri nota erat nuditas, quomodo solus pater filij nuditatem non poterat videre? Solus aspiciat filij nuditatem ad commiserationem: solus pater filij nuditatem videre non poterat, vt filium in suo squalore, ac fœditate relinqueret. Huc spectat id, quod dixit Seneca lib. 7. quæst. Natural. cap. 31. Quod magis miseris, oculos nostros, & implent, & effugiunt. Implent, vt honore condecorant; effugiunt, vt ignominia afficiant.

Quartò. Idem Chrysol. serm. 3. Pater hic, qui in secundis esse non passus est peccatorem, plus de venia, quam de iustitia gaudium vult habere. Pater huic filio prodigo iam dederat suæ hereditatis substantiam, & omnia, quæ in domo habebantur parata erant seniori filio. Cur ergo huic prodigo non dat quamlibet stolam, secundam, vel tertiam, & prima seniori reseruetur? Nonne huic adolescenti nudo quælibet stola sufficiebat? Et prima videtur destinanda ad seniorem, qui nunquam à domo patris recessit, sed semper modeste sub eius obedientia se exhibuit. Ecce magna penitentia vis, quæ sic delet peccata, ac si nunquam commissa fuissent, sicque pater omnes errores obliuiscitur, ac stolam primam dat filio, ac si nunquam ille abiisset, ac in aliquo deliquisset. D. Ennodius in Eucharistico de vita sua. Ad stolam candidam, ait, ad anulum pretiosum, ad diuitias illas paternæ possessionis, quæ si semper seruasset iussa, reuocauit. Deinde senior frater semper sub præceptis patris exiterat, ac proinde tanquam innocens habebatur; Prodigus verò valde penitens de præterita vita introducit, & huic datur stola prima, scilicet enim penitens vehementi contritione sua maiora dona promeretur, quæ innocens simplicitate vitæ; hinc pius pater penitentem filium non solum reuocat ad antiquum honorem, sed etiam tantis privilegiis, ac muneribus cumulauit, vt fratrem zeli posset cedere dolorem. D. Bernard. serm. de Ingratitudine. Minime ra-

men, ait, sufficere potuit paternæ pietati, nisi tam copiosam misericordiam exhiberet, cui posset, & ipse, qui nunquam à patre discesserat, senior filius invidere. De quo multa dixi supra cap. 8. num. 134. 135. & cap. 16. num. 75. 76. 77.

Quintò. Vltima verba Chrysologi expendo. A seruis ante vestiri voluit, quam videri, vt soli patri nota esset nuditas. Hoc curat bonus pater, vt filij nuditas ipsi soli sit nota, & minime à seruis videatur; à Dei aspectu misericordia defluit, non enim patientur pietatis viscera miserum videre, quin subueniant; à seruis verò multoties seueritas procedit, qui sæpè delinquentem arguunt, & accusant de criminibus factis, de substantia perditâ, ac bonis dissipatis. D. Hildebertus Cænonian. Episcop. Epistol. 4. Sic ait. Nubes solem intercludunt, & astantes ministri regis clementiam coactant, ne in seruos diffundatur.

De terribili die iudicij locutus Dominus ait. Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maiestate; & mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna. Math. 24. num. 30. Post Domini verò Ascensionem de eodem Domini aduentu loquentes duo Angeli, qui Apostolis attulerunt, dicunt eis. Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Act. 1. num. 11. Quid est, quod cum Dominus prædicat aduentum suum ad iudicium se dicit venturum stipatum virtutibus cæli, Angelicis exercitiis cum tubis, ac clamoribus. At in die Ascensionis dicitur Apostolis quod sic veniet, quemadmodum vidistis eum in cælum? Ipse quando ascendit, solus cernebatur, non apparebant cum eo ministri. Cur etiam hic non annuntiat Apostolis, quod veniet cum virtutibus cælorum, cum exercitiis Angelorum, vt antea prædicatum fuit in Ierusalem? Antea in Ierusalem dicitur ventu rus comitatus cum Angelis, vt iniquis, ac impiis esset terribilis, ex adiunctis enim ministris, pauor, & seueritas in peccatores procedit; At verò in die Ascensionis Dei terror à cordibus discipulorum auferebatur, & multum consolationis leuamen dabatur, & ideo nullius comitatus fit mentio, sed solus proponitur descendens, vt fuit visus ascendere, suis dilectis discipulis sic placidus exibat, ac si solus veniet; vbi Deus solus, ibi pietas, ex adiunctis verò creaturis seueritas, rigor, ac formido à Deo in peccatores dimanat. D. Augustin. serm. 7. de Ascensione. Sic veniet, ait, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum; non veniet vobis terribilis. Sic veniet in ipso corpore vobis in amore, impiis in terrore. Beati, quibus dicitur sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum; nunquid sic veniet oculis peccatorum? Erit ipsa veritas, sed non erit ipsa securitas. Dies erit timendi iudicij, descensus Angelorum.

Cum coram iniquo iudice Stephanus astaret, intendens in cælum vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei. Et ait: Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei, Act. 7. num. 55. Cuius præsentia maximè recreabatur fortissimus miles. At Iacob vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum in iuxta scalam: cumq; euigilasset Iacob de somno, paterfamilias: Quam terribilis est, inquit, locus iste. Genes. 28. num. 17. Oleaster. Quam timendus est locus iste. Stephanus, ac Iacob vterque videt Deum. Ille ex Deo visum nullum

139. Chrysol.

Deus solus benignior, quam cum adiunctis creaturis simul apparuit. Hildebertus.

140.

Math. 23.

Act. 1.

Christus solus clementer cum ministris terribilis.

August.

141.

Act. 7.

Genes. 18. Oleaster.

nullum concipit terrorem, sed multa suavitate confortatur; hic vero maxime pauet, ac vehementissime terretur. Quam terribilis est locus iste. Vnde tanta rei differentia? Stephanus videbat solum Iesum, & inde maximum animi robur, ac dulcedinem percipit. At Iacob intruebatur simul Deum, & Angelos tanquam iudicis maiestatem cum ministris, & inde profunde magno timore concutiebat, ad quod forte respicit Caietan. Timuit Iacob, ait, diuinum iudicium, quem admodum consueuimus timere nouiter presentes principii sapienti, ne aliquid sibi displicens appareat in nobis: sic enim Iacob timuit considerando si ipsum relative ad presentiam Dei, & frequentiam Angelorum, ne imputarentur sibi defectus sui. Expende, ad frequentiam Angelorum.

QVÆSTIO XIX.

Quare Pater mandat dare anulum in filij manu?

142. AMESCENTI filio, antequam ipse in domum, ac ad mensam introducat, mandat pater dare anulum; quoniam huius doni scopus? Anulus signum erat nobilitatis, ac libertatis, annulo enim equites à plebeis, ac seruis distinguebantur, vt est satis vulgare. Vnde ait D. Chrysol. ferm. 5. Posuit, ait, anulum in manu eius: anulum honoris, titulum libertatis, insigne pignus spiritus; signaculum fidei. Et D. Augustin. lib. 2. quæst. Euangel. 33. Anulus in manu, ait, pignus est spiritus sancti propter gratia participationem, que digito bene significatur. Vt adolescens appareret immunis ab antiqua seruitute, & in suo pristino honore, ac decore gratia restitutus. Diuus Chrysol. ferm. 3. Paterna pietas contenta non est innocentiam reparare solum, nisi pristinum restituat honorem.

Chrysol. Anulus signum libertatis. August.

143. Secundò. Anulus significat bona opera, vt docet Asterius in Catena Græca, & ibidem Diuus Gregor. Nyssenus: Datur anulus, ait, vt habeat in manu, seu operatiua virtute signaculum fidei, vt demonstrare queat, quod recreatus sit ad imaginem eius, qui se condidit. Anulo exornatur manus, vt operum splendore ostendat fidem, gratiam, ac imaginem creatotis, quam in se habet.

Asterius. Nyssa.

144. Tertio. Dabatur quidam anulus signatorius, quo tradito reges intimè coniunctis dabant suam potestatem, & auctoritatem. Talem Pharaon tradidit Iosepho. Tulit anulum de manu sua, & dedit eum in manu eius. Genes. 41. num. 42. Talem Assuerus Amano. Tulit rex anulum, quo utebatur, de manu sua, & dedit eum Aman. Esther. 3. num. 10. Talem dedit Alexander moriens Perdica, quo significabatur relinquere illi suum locum, & auctoritatem, vt testatur Emilius Probus in Eumenis, talèque bonus parens dat filio prodigo, quasi nihil pretiosius haberet ad eum lopletandum; quo significaretur non solum eum in gratiam suam recipere, sed etiam quod ei suam auctoritatem, ac potestatem ei conferebat, illique omnia sua communicabat.

Genes. 41. Esther. 3.

Emilius. Pater filio non solum sua, sed etiam suam auctoritatem communicat.

145. Quarto. Dat Pater anulum filio, in quo imago ipsius Patris erat insculpta; hoc apud veteres erat summi amoris signum, vt in annulis gestarent imagines eorum, quos valde iniimè diligebant, vt perpetuam eorum memoriam con-

In annulo patris imago insculpta.

seruarent: ad quem morem alludens cælestis sponsus ait. Pone me vt signaculum, super cor tuum; vt signaculum, super brachium tuum. Cant. 8. num. 6. Ac si diceret sponsus: præter me in annulus, ac armillis, quibus manus, ac brachia adornabantur, vt nunquam mei habeas obliuionem. Ita Interpretes Genebrardus, Legionensis, Hortulanus, Tuccius, Titelmanus, Puente, Delrio, Sanches, Gisletius, Soto maior, M. Pinto Ramires, & alij. Ait Deus Hierosolymæ. Ego non obliuiscar tui: Ecce in manibus meis descripti te. Isai. 49. num. 16. Hoc est, apud meas manus in annulis descripta habetis, vt nunquã tui obliuio sit apud me. Ita Leo à Castro, Sanches, Cornelius, & alij. Confolatur Deus Zorobabelem dicens. Assumam te Zorobabel, serue meus, & ponam te, quasi signaculum, quia te elegi. Aggæi. 2. num. 24. Hoc est, bono esto animo, quia tuam imaginem meo annulo insculptam meis digitis inferam. Ita Leo à Castro. Cornel. Mendoc. tom. 3. in lib. Reg. cap. 15. annot. 21. num. 5.

Cantic. 8. Genebrard. Legionens. Hortulan. Tuccius. Titelman. Puente. Del Rio. Sanchez. Gisletius. Soto maior. Ramires. Isai. 49. Leo à Castro. Sanches. Cornel. Agg. 2.

Quinto. Dat Pater filio anulum, in quo est sui ipsius imago. Cuius causam assignat D. Chrysofostom. homil. 4. de filio prodigo. Vt meum, ait, circumferens sigillum, formidabilis omnibus hostibus, aduersariisq; appareas. Parens iste Christus Dominus filio, seu peccatori conuerso, ac penitenti dat in annulo imaginem suam, qua sit munitus ab insidiis Diaboli, eique sit formidabilis; vt ipse leo, qui circuit quærens quem deuoret, cum imaginem Iesus intueri non valeat, ab eo velociter fugiat, ac tartareis cauernis sese abscondat. Recenset Zacharias beneficia, quæ ex Christi aduentu humanum genus consequutum est, & magnam securitatis gratiam cunctis pollicetur: dicens. Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi. Luc. 1. num. 74. Inimicus noster diabolus valde crudelis, & astutus, quomodo non timendus; Christi presentiam non cunctandam hominibus annuntiabat Zacharias, qua Dæmones maxime contracti infugam abierunt, vt iam illorum insidiæ minime sint timendæ. Titus Bostrenf. ad citatum Luc. cap. Etenim, ait, Christi aduentus effecit, vt formidine vacui, ex inimicorum potestate eriperemur, neque enim ullum hostilium insidiarum sensum cepimus.

146. Chrysof. A Christi presentia fugient damones.

Sextò. Mandat Pater inferi anulum in manum filij, dicunt Anatomici neruulum quendam è corde natum, in digitum annularem protendi; vnde annularis digitus apud Ægyptios cordis erat hieroglyphicum. Et in sponsalibus, teste Alexand. ab Alexan. lib. 2. Genail. di. cap. 5. Ille digitus, ad amorem cordis indicandum, annulo coronabatur. Idcirco Tertullian. lib. aduers. Gent. cap. 6. huius digiti anulum pronubum appellet. Aurum, ait, nulla femina norat, præter unico digito, quem sponsus oppignoraasset pronubo annulo. Hac de causa Ægyptiorum sacerdotes teste Pierio lib. 36. cum ad fuorum Deorum aras ministrarent, hunc digitum odoribus illinebant; vt insinuarent, quibus virtutum odoribus corda sacrificantium deberent esse delibuta. Cum ergo tanta sit naturæ cum hoc digito connexio, anulum in digitum, cordi respondentem, merito iubet parens dari filio reuerso; vt significaretur lætitiã, quam suis communicabat, non foris sistere in corpore; sed intro ad cor vsque penetrare, ad quod forte respiciens in præsentia, D. Ambros. ait. Anulum, qui in digitum inseritur esse signaculum, quo cordis interiora significatur.

Luc. 1. Bostrenf.

147. Cordis sensus cum annulari digito. Alex. ab Alex. Tertullian.

Pierius.

Lætitiã patris non solum in ore, sed etiam in corde.

Ambros.

Ait

148. Ait Regius Vates. Psalm. 4. num. 4. Dediti lætitiã in corde meo. Non ait absolute, dediti lætitiã in oculis, vel in facie, sed in corde; lætitiã, quæ est in oculis, ac facie est ex bonis externis; quæ verò est in corde, est à Deo de bonis spiritualibus, de quibus tantum est verum gaudium replens animam, & cor. D. Chrysofostom. ad citat. Psalm. Non dixit, ait, simpliciter, dediti lætitiã, sed in corde meo: ostendens, non esse in rebus externis lætitiã, quia hæc lætitiã non est cordis, sed solium oculorum.

Chrysof.

949. Audiens sibi filium promissum à Deo risit olim Abrahamus Genes. 17. num. 17. & etiam Sara risit. Genes. 17. num. 12. Tamen Saræ risus ab ipsa denegatur. Negauit Sara dicens, non risi. Genes. 18. num. 15. Risus vero Abraham ab ipso nec negatur, nec arguitur à Domino, sicut risus Saræ; quoniam huius rei causa? Sara risit in ore, ac facie. Abrahamus verò in corde. Sic enim in quibusdam Bibliis disuncta habentur. Risit in corde suo dicens. Hinc est, quod Sara suum risum inficiatur, quia cum esset lætitiã in ore, ac facie externa, tanquam inanis, ac nulla reputabatur, & ideo, qui tali ridet, & exultat, facile negare potest se ridere, ac exultare; autem Abrahamus risit in corde, huiusmodi autem cordis lætitiã vera, ac solida est, quæ minime negari, ac occultari valet, cum firmissimè perseueret.

Genes. 17. Genes. 18.

Lætitiã oris inanis, cordis verò solida.

QVÆSTIO XX.

Quare Pater filio statim prouidet calceamenta antequam in domum introducat, & nil de operimento capitis agit?

150. B hoc secundo incipio quæstionem. Pater filium optima stola induit, in signum nobilitatis, dat anulum in digito, & vt nullum antiquæ nuditatis appareat vestigiũ, prouidet ad pedes calceamenta: Cur non aliquid mādāt exhiberi ad caput operiendũ; ipse enim adolescens nudus, & discooperto capite venerat. Disponēbar prouidet pater filium introducere ad suam mensam vituli faginati, scilicet corporis, ac sanguinis sui, cuius coniuuati principes, ac reges creantur, inde capiti parens non dat operimentum, ex ipsa enim mensa corona conferenda erat, qua filij caput mirifice exornaretur, ac multo decore circumdatum niteret, ac splendesceret. Vide tom. 3. cap. 31. quæst. 18. num. 123. 124. 125. 126. vel ex operibus penitentia prodigi corona intexebatur, qua illius caput circumdatum magno splendore appareret; vt dicebat Paulus. Bonum certamen certauit, &c. Reposita est mihi corona iustitia. 2. Timor. 4. num. 8.

Eucharistia ruges creat.

Suis operibus coronatur homo.

2. Timor. 4.

151. Chrysof.

Bostrenf. Theophyl. Glossa.

Leuissimè de fectis amittuntur.

puluis è pedibus dimittatur, hoc, est etiam veniales defectus, vt ad mensam Domini perueniat, vt dicam. quæst. 21.

Secundò. D. Chrysol. ferm. 3. Date calceamenta in pedibus eius: ne vel in pede remaneret deformitas nuditatis: cerre vt calceatus anterioris viã rediret ad cursum. In quibus verbis multa sunt notanda. Primò. Pater filium penitentem recipit, & in pristinum restituit honorem, prouidens calceamenta, vt antea habuerat; ne plus infamie atulisse videretur scelus, quam gratia dignitatis. Secundo. Pedum nuditas è vitio manauit, cum Pater filium recipit, maxime cauet, ne alicuius deformitatis vestigium in pede remaneret, perfecta morum reparatio, nec minimam partem nudam relinquit, ne ex illa ad consueta crimina deflectatur, & ideo bonus reditus ad patrem pedem ignominia nudatum non præmittit. Ne vel in pede remaneret deformitas nuditatis.

152. Chrysol.

Tertio. Quid est, quod Prodigus cum domum Dei est ingressus statim ei prouidetur, vt veste præclara fulgear, calceis muniatur, ac delicatis cibis pascatur? Nonne antea ipse nudus, ac famelicus porcorum gregi seruiebat, vt animalium siliquas desideraret, ad quid modo tam cito tantis delitiis recreatur? Sciebat bene optimus parens, quod ille, qui nudus, & famelicus mundo seruiebat, in domum Dei tamen adductus, adeo delicatus euasit, quod nisi omnibus abundet, obedire maxime detrectet. Ne in pede remaneret deformitas nuditatis. Pro quo accipe D. Bernard. homil. 4. Super missus est. Sic fatur. Video post spretam saculi pompam nonnullos in schola humilitatis superbiam magis addiscere, & impatientes amplius fieri in claustro, quam fuissent in saculo. Quod magis peruersum est, pleriq; in domo Dei non patiuntur haberi contemptum, qui in sua non nisi contempnibiles esset potuerunt.

153. In mundo nudus seruens in religione, nisi abundet, non vult obedire.

Bernard.

Quarto. D. Chrysol. ferm. 5. Dedit & calceamenta in pedibus eius, vt essent, ait, calceati pedes in predicatione Euangelij, vt etiam docent D. Augustin. lib. 2. quæst. Euangelic. D. Hieron. D. Ambros. Beda, D. Bonauent. & alij. Cur bonus Pater pedes ad lapsum procliuēs, ac delicias, ac voluptates propensos, ad disseminandum Euangelium emittit? Sciebat bonus pater, quod penitentes, ac conuersi maxime aliorum salutem sitiunt, & desiderant. Deinde Pater videt filium antiqua crimina post criminum molestias, ac labores detestantem, & inde credidit antiqua errata non iam ad vltiora vitia irritamenta, sed ad nouas virtutes excitamenta; Pressuræ, ac vexationes pristina maxime animum informant, vt ad similia fugienda, alios ex vera charitate tu monneas, & doceas.

154. Chrysol. August. Hieron. Ambros. Beda. Bonau.

Antiqui labores instrunt, vt doceas alios fugere similia.

Quinto. Cum pater occurrit in via filio antequam in domum veniat, iubet cito dare calceamenta in pedibus eius; Ne pes eius minuitur, quo lapide offenderetur. Vt dixit D. Pasch. lib. 6. in Matth. ex quo mihi magna difficultas exoritur. Hic adolescens venit ex remotissimis terris. Profectus est in regionem longinquam. Ac proinde per viam præterit per rupes, per petrarum prærupta, ac saxorum cumulos, & etiã per loca arida spinis, ac tribulis plena, & tamen hæc omnia pertransiuit, absque pedum offendiculo, & carnis cruentò vulnere; modo verò statim dantur calceamenta, ne leni lapide scandalum patiatur. Vnde tanta rei differentia? Quando adolescens iste per itinera venerat, alienus extabat à Patris gratia, ab illius

155. Paschal.

Deiectus omnia sustinet, delicatus regis fauore leui aure offenditur.